

**Epicedia in funere elegantis puellae Elisabethae Marquardiae, Viri ... Dn. Laurentii Marquardi, I.U.D. & Advocati p.m. relictæ Filiae**

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770365582>

Druck Freier  Zugang



Epicedia

in funere

*elegantis puella*

ELISABETHÆ

MARQUARDIÆ,

VIRI

*Consultissimi ac Clarissimi*

DN. LAURENTII MAR-

QUARDI, J. U. D. & Advo-

cati p. m.

*relictæ Filia,*

*Fusa,*

A Dn. Profesforibus, Amicis ac Cognatis,



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO 1655.

*LB FP Marquard, Elisabetha 1655/e*





De florentis. Nepte Amplissimi Jcti  
LAUR. STEPHANI,  
Vice Præsidis Jud. Prov. Mæcklenburgici  
& Dn. Collegæ sui

ELISABETHA MARQUARDIA.



Teneris sub avo nutrita tenerrima  
neptis  
Et tenerè & toto corde adamata  
fuit,

Postquam aviam in cælos vidit ge-  
nerosa migrantem

Jam pertæsa fuit lucis, & ipsa, sui,  
Scilicet hæc aviæ vestigia credidit esse  
Mox imitanda sibi, mox & eunda sibi.  
Hinc se Rostochium divino contulit actu,  
Ne procul ipsa aviæ, sed procul esset avo.  
Illud erat pietatis opus, quam firmiter urfit,  
Ne tristetur avus, se moriente, nimis.  
Hoc autem erga aviam summi molimen amoris  
Matrem aviamq; penes dum cupit illa mori.  
Sistat avus lacrymas; In gaudia spargat amorem!  
Non vidit mortem Neptis in orbe suam.

In










Vita cruce: dedit at pulchras mors sancta coronas:  
Has qui de crucibus sic cupit, ille sapit.  
Gratamur palmas: CHRISTO patiente potita  
Signa triumphantis nunc quoq; Regis habes.  
Qui CHRISTO placuisse voles, qui luce potiri:  
Tolle crucem: cæli gaudia vera dabit,

Solatio mœstissimarum & honori supremo  
beatissimæ Virginis, sapientiæ crucis,  
& mortis memor

L. M. Q. scr.

Augustus Varenius, S.S. Th.  
& Phil. D. Hebraicorum & Cateches,  
Christian. Prof, Publ.



Sic Aviam sequitur tumuli cōdenda sub umbra  
Fato inopino! Avix Neptis amata suæ.  
Quæ breve per spacium in terris disjuncta fuerūt,  
Hanc subito jungit corcula chara polum.  
Interea densantur Avo tot vulnera acerba,  
Ast hoc qui inflixit leniat ipse DEUS!

Condolens f.

Conradus Schuckman/D.



Improba mors instat, RAHNIANIS parcere nescit.  
Ex luctu luctum concitat illa novum.

Ipsa socrus neptem reperit, eruculentia mortis  
Præclarum matris tollere germen amari

Quæ presens matrem exhilarat, modò conditur urnâ  
Et matri lacrymas excutit illa probe,

Filia







**Q**uis tristis nostras rumor per verberat aures,  
Virgineum morti succubuisse decus?  
Vivere digna fuit longos feliciter annos  
Amplexu dignum continuisse procum.

**A**st melior Sponsus moribunda occurrit **ÆSUS**,  
Qui Sponsam gremio suscipit ipse suo.

Condol. c. scrieb.

**M. Lucas Bacmeisterus**,  
S. S. Theol. Prof.

**Q**uando gulæ proceres celebrant trieterica  
Bacchi,

Atq; saginari venter a lotus amat.  
Cum Sybaritarum paslim convivia fervent,  
Et Cleopatras prodigit Orbis opes:  
Ebria dum luxu plebes sua gaudia gaudet,  
Et certat Cyprios inter ovare greges.  
Lata seges flendi tibi nascitur, inclite **RAHNE**,  
Occupat immensus pectoris antra dolor.  
Nec nos causa latet, flendi justissima causa,  
Dum fera privignæ ver breve Parca facit.  
Sic nasci violas, & florum lilia reges  
Sole oriente vides, Sole cadente mori.  
Nemo sibi Euboici promittat pulveris annos?  
Ros homo, flos, ventus, vitrea bulla, nihil.  
**ELISABETA** cadit teneræ sub flore juventæ:  
Auctumnum ætatis vere venire videt.

Tàm



Tàm cito flaccescit facies formosa puellæ:  
Tàm citò purpureo cesit ab ore decor.  
Mors festina nimis, Fuit his brevis advena terris;  
Et mors immeritum mesuit ense caput.  
O memores mortis Baccheum tollite luxum,  
Quis scit, an ex vestris non bibat illa scyphis?  
Mors tua fila secat, dum vinum poscis & unguen,  
Cum minimè reris, mors tua fila secat.  
Quæ non de calicum violenta trahonibus ausit,  
Quando nec probitas injicit ulla moram.  
Tardaret pietas & culta modestia fatum,  
Non foret ELISABE jussa subire necem,  
Ast hæc humanæ tandem sunt præmia vitæ  
Cura, labor, morbi, deniq; triste mori.  
Serius, aut citius, Sed quàm bene versa theatri  
Stat facies, quando cælica regna colit.  
Scilicet huc positam modo scintillare videmus,  
Inter ut astrorum Phosphorus arva micat.  
Quis faciem illius patriæ, quis gaudia narret?  
Lux ibi continua est, continuique dies.  
Gemmiferis redimita viret sua tempora fertis,  
Conspectoque DEO pæne fit ipsa DEUS.  
Quis doleat positos illa intra mœnia Cives?  
Invideamne tuis, ELISABETA, Bonis?  
Non ita: sed tristes potius deploro Perentes,  
Quos iterum telo Fors graviore ferit.

405  
Quot



Quot clades, & quot mortes flere Suorum.  
Hactenus, & vulnus nondum, agitando, coit?  
ORAHNE, ô quoties maduerunt lumina guttis!  
Et cui sit tantis cornea vena malis?  
Esto tamen modus, esto. Suos non flere tyranni:  
Justa sed in lacrimis pondera ferre viri est.

A. Tscherningius, P.P.

**S**umme VIR. egregio qui nuper carmine Nostram  
Elevisti ELISCHABEN, jam fleo & ipse TUAM.  
Eber ais, requies Domini, ELISCHABETHA, vocatur:  
Felix aeternum qui requiescit ei!

*Motibus internis foris omnia plena videntur:*

*Num simul est Domini jam eumulanda quies?*

*Absit: adhuc Domino vivi requiescimus omnes.*

*Viva quies Domini, nec moriendo peris.*

*Adsit utriq, suo solamine JESUS JOVA,*

*Atq, in SE faciat SIT TIBI tuta quies!*

Honoratis. suo DN. Affini condo-  
lescens sc.

Bernh. Taddelius, P.P.

*Honori ultimo*

BEATISSIMÆ DEFUNCTÆ:

**N**ondum, RHANE, Tibi mors desinit esse  
maligna?

Hæc, inquis, nunquam desino damna pati.

*Condol. scr.*

B. Gosman, P.P.

*Esne,*



406  
E Sné, RAHNI, sortem tandem damnatus in  
istam,

Ut, nisi lugubri, nequeas sub veste videri,

Nec nisi progrediare pedes velatus ad imos?

Principium tibi, credo, RAHNI, prior extitit uxor  
(Illa decor sexus, ornamentumq<sub>3</sub>) doloris.

Hinc quocunq<sub>3</sub> alio merentia pallia casu

Ordine cinctus ades: Sed nunc potiora referre

Tristitia documenta lubet. Post ergo Maritam

Non magis, quam Regum, Reginarumq<sub>3</sub> Ducumq<sub>3</sub>

Consilium, seculi splendor, Princepsq<sub>3</sub> suorum,

LIPPIUS ipse Socrer, se lamentabilis offert. (bri

Mox STEPHANUM de gente doles & stirpe cele-

Eximum Affinem, tantòq<sub>3</sub> impensius istam,

Quò citius perit, vel quò violentius idem.

Dein quoq<sub>3</sub> materies planctus amplissima, Socrus

Reddita; delicia Matronarumq<sub>3</sub> voluptas.

Non sat erat: Privignam etiam nunc flere juberis

Vitricus, an Pater ipse magis? Quò fata ferentur?

Quo mors usq<sub>3</sub> dabis malesano frena furori?

Quamq<sub>3</sub> diu RAHNI cumalabis funera? nonne

Servitum satis est? da respirare, cruenta,

Da vultumq<sub>3</sub>, habitumq<sub>3</sub> VIRO mutare severum.

Ampliff. & Excellentiff. Dn. COLLEGÆ,

Fautori summo, Lmq; scrib.

M. Hinricus Dringenberg / Ph. Pract.

Prof. ac Scholæ oppid. Rector.

B

Desi.



**D**Esiderata spes Avia tua,  
ELISABETHA, ô, quæ fueras, malum  
Quando per occultum licebat,  
Ac veteri steterat dolore:  
Insistis illos, quos ea presserat,  
Calles, ut æquum est, consimili gradu,  
Et antecedentem secuta  
Poscis idem tenuisse cursu,  
Quod rara virtus, & probitas iter,  
Et laus rubentis casta pudentiæ,  
Et vera signârant potentis  
Cura Dei, meliorq; cultus.  
At quando mortis tangere limites  
Pertæsa vitæ, & post miseræ vices  
Præsentis horæ, est visa cœli  
Gaudia perpetuò potiri:  
Tam sæpe anhelas sic etiam sequi,  
Quam dirus instat visceribus dolor,  
Exhauriens, mollesq; acutis  
Exterebrans stimulis medullas.  
Mactata voti. Quàm placidè brevis  
Ruptura vitæ vincula dividit!  
Quàm non ad extremum molesto  
Diffidio resoluta flatum.  
Mens atq; corpus! Nunc Aviam tenes,  
Et illa te complectitur, & tuo

Laeta-











